



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum, Seu Decisiones Casuum

Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos, & ad consuetum
Referendi modum accommodatæ. Opus Novum

Complectens alteram Decretalium medietatem, videlicet nonaginta duos
Titulos, à Titulo XX. libri III. de Feudis usque ad finem

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1734

Decisio CV. De Uxore Religionem ingressa sine consensu Mariti, quocum
priùs emiserat votum Castitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62204)



TITULUS XXXII.

De Conversione Conjugatorum.

DECISIO CV.

De Uxore Religionem ingressa sine
consensu Mariti, quocum prius emiserat
votum castita-
tis.

SPECIES FACTI.

Munditia Virgo nobilis & ad-
modum pia ex voluntate
parentum nupserat Euge-
nio, Juveni pariter nec ig-
nobili nec improbo. Post duorum
annorum lapsum sine prole exa-
ctum in Matrimonio suadente

Munditia uterque conjunx emisit vo-
tum castitatis, & Eugenius brevi post
militiam secutus est, ac interfuit
prælio admodum cruento. Illa
multum sollicita de suo Eugenio
solerter indagavit, an vivus e præ-
lio evaserit, sed diu nihil rescire po-
tuit,

ruit, ac insuper à duobus, qui praelio interfuerunt, audivit, Eugenium occubuisse, cum & in Exercitu desideratus fuerit, & inter captivos abstractum esse nihil innotuerit. Quare Munditia majoris perfectionis studio, ad quam ante nuptias jam suspiraverat, Religionem ingressa

& professa est. Vix edita professione comparet Eugenius, per duos annos in captivitate hærens, & Munditiam revocat ex Monasterio ad sibi cohabitandum.

Unde exorta est

QUÆSTIO.

An Eugenius jure revocaverit Munditiam ad sibi cohabitandum, & Munditia ad redeundum fuerit obligata?

Videtur, quòd non. 1. quia ipsi SS. Canones conjugibus liberam potestatem concedunt ingrediendi Religionem, & Matrimoniali contractui hanc annexerunt conditionem, nisi Religionem intraverint. 2. 7. 14. h. t. ergo, dum Munditia Religionem elegit, fecit, quòd ipsi SS. Canones indulgent: ergo jure revocari, & ad maritum redire obligari non potest. 2. Munditia emisit Professionem non solum licite, quia creditur, maritum esse mortuum, sed etiam valide: sed professio Religiosa semel valide emissa stringit perpetuò professum vel professam,

& jus compartis omnino extinguit, ut patet, si innocens propter compartis adulterium emittat Professionem. c. constitutus 15. eod. & ibi communiter DD. Ma. probatur: si aliquid obstaret valori Professionis, foret hoc, quòd sine consensu Eugenij ingressa sit: sed non est ingressa sine consensu Eugenij, quia Eugenius consensit satis partim per emissum liberè votum castitatis, partim per liberum à Munditia discessum sectando militiam: ergo. 3. Si Eugenio competeret jus revocandi Munditiam ad sibi cohabitandum, illud fundaretur in jure utendi Maritimo.

Z 2

rimoniō, & exigendi debitum conjugale : sed in hoc jure non fundatur, quia per votum castitatis sibi ipsi illud ademit : ergo. 4. Ad hoc, ut Professio conjugis sit valida, pius non requiritur, quam ut compar pariter ingrediatur liberē Religionem ac voluntariē, vel ut emittat votum continentiae in saeculo, c. 1. 9. 13. eod. sed Eugenius jam emisit votum continentiae : ergo. 5. Accedit dispositio Nov. 123. c. 40. ubi conjugibus illimitatē etiam sine alterius consensu, & post Matrimonium jam consummatum, conceditur liber ingressus Religionis, ita ut remanenti in saeculo potius detur potestas aliud contrahendi Matrimonium, quam revocandi ingressum ad consortium,

Nihilominus tamen indubitatum mihi est, Eugenio competere jus revocandi Munditiam ad sibi cohabitandum, consequenter & Munditiam ad redeundum obligari ; ubi enim uni competit jus activum, in altera parte debet dari jus passivum seu obligatio. Fundamentum unicum ita resolvendi hanc quaestionem, solidissimum tamen petitur ex *can. Agathosa 21. caus. 27. q. 2. & c. 3. cit. c. 17. 18. eod.* ubi Pontifices ad valorem Professionis conjugis exigunt, ut ingressus & Professio Religionis fiat cum consensu & licentia compartis, si Matrimonium prius iam fuit liberē con-

summatum, ut adeo pars professā (et si jam sacris initiata) revocari possit & restitui debeat petenti ad cohabitandum, & ad debitum conjugale, si aliud non obstat, reddendum, quamvis ingressa petere debitum non possit propter votum continentiae, quod, licet non valuerit in vim voti solennis, valuit tamen in vim voti simplicis, c. 3. cit. sed Eugenius non consensit in ingressum & Professionem Munditiae ; cum ne quidem sciverit ingressum & Professionem ; ignorantis enim nullus est consensus, & nihil volutum nisi cognitum, per vulgaria. Neque sufficit consensus praesumptus, uti notant Verani ad h. l. §. 2. n. 12. 13. Pirhing ibid. n. 27. P. Schmalzgruber n. 23. & alii ; quia in re tam ardua, & alteri tam praesudiciali, rationabiliter praesumi consensus non potest.

Ad opposita non est difficilis responsio. Ad 1. ibi est sermo de Matrimonio praesicē Rato ; huic à Jure annexa est dicta conditio, non autem Matrimonio Consummato, quale fuit istud. Ad 2. Negatur, quod validē professā sit Munditia, nempe propter defectū consensūs Eugenij, qui utique per hoc, quod militiam secutus sit, praesumi non potest consensisse in uxoris ingressum & professionem, cum redire ad eam intenderit, neque per hoc, quod cum ipsa liberē emisit votum

tum castitatis. Verani n. 11. 20. P. VVielner ad h. t. n. 22. Pirhing n. 19. cum Abb. in c. 17. cit. n. 3. & communi ex can. 4. caus. 33. q. 5. Ratio est, quia longè diversa sunt consentire in castitatem servandam, & in ingressum Religionis: & aliud est separari quoad cohabitationem in ordine ad obsequia conjugalia mutuo sibi exhibenda, & quoad thorum. Per votum continentie mutuo consensu editum solùm liberatur conjunx ab obligatione reddendi debitum conjugale, non verò à mutua cohabitatione & cæteris obsequiis conjugalibus; his autem jure sine suo consensu privari nec valde nec licite potuit Eugenius, & Professio sine consensu Eugenij facta manet invalida. Obijciunt aliqui textum in c. 20. h. t. Sed ibi non de solo voto continentie sermo est, sed de casu, quo conjuges mutuo cesserunt omni jure, etiam ad petenda obsequia conjugalia, & mutuam cohabitationem. Ad 3. negatur Major; nam per Matrimonium Eugenius acquisivit jus non solùm ad thorum, sed etiam ad cohabitatio-

nem & alia obsequia conjugalia. Ad 4. N. M. nam principaliter requiritur consensus, expressus vel verbis vel factis, in ingressum compartis. Ut etiam altera pars post consensum datum vel ingrediatur Religionem, si adhuc juvenis & suspecta sit de incontinentia, vel saltem emittat votum continentie remanens in sæculo, præcipiunt quidem SS. Canones cit. at neutrá sequente Professionem non irritant, imò satis clarè nihilominus pro valida habent can. Agathosa 21. & c. 9. cit. Sylv. Sanchez, Pirhing, Schambogen & c. cum glossa in d. c. 9. v. de Jure. Ad 5. Jus Civile nihil potuit disponere circa Professionem & Matrimonium, utpote materiam spiritualem, & apertè correctum est à Jure Canonico in cit. cit. specialiter in d. can.

212

✠

Z 3

II